



LECTORI.

VETVS quaestio est, omnium omnis generis Philosophorum spatius, de hominis summo bono. Quo de tanta in varietate constituti sunt, ut aliquot centenis ea de re opinionibus mundum compleverint. Vulgus autem & indocta hominum turba, prout singuli sensu & perturbatis affectibus atque studiis arripiuntur, ita sibi foelicitatem affinxerunt. Sed quid caeci de coloribus, miseri & infelices homines de foelicitate, in malo (ut inquit Iannes) positi de summo & maximo bono sententiam ferant? Quid beatus Deus, de beatitate, de summo & maximo bono, Deus optimus maximus pronuntiat, animum oportet advertamus. Quod cum in pluribus sacra paginae libris sparsim & interpolatè explicatur, tum hoc Ecclesiasticis toto libro unice & continenter disceptatur, & disceptando certissime definitur. Cujus in investigatione ita versatur Propheta, ut beatitatis umbris & larvis sapientum & insipientium, doctorum simul & indoctorum disiectis & refutatis, veram & infucatam foelicitatem suis cum pietatis erga Deum, tum justitiae adversus homines fructibus luculenter depingat. Hic igitur liber ipso Spiritus S. scriba & veluti protonotario, omnium scilicet qui unquam extiterunt, aut qui deinceps extabunt mortalium sapientissimo abundè commendatus, hoc tam amplo atq; eleganter descripta foelicitatis argumento commendatissimus esse debet. Studium verò tuum remorari aut frangere non debet, quorundam de hoc libro temerarium & inconsideratum iudicium, qui ex certis quibusdam sententiis hinc inde aspersis, nescio quid Epicureorum, Aristippeorum, & Atheorum fermentum resipere & redolere somniarunt. Est enim illud Eunuchi apud Lucam in Actis ingeniosum planè & peracutum erotema: loquitur ne Propheta de sua aut alterius cuiusdam

:(4

per-